

www.e-rara.ch

Innocentia vindicata

Sfondrati, Celestino

Typis ejusdem Monasterij S. Galli, Anno M.DC.XCVIII. [1698]

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102884>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



P R Æ F A T I O.

*Ad Amicum præstantissimi nominis Theologum, eximiumq̄
Doctorem, contrariæ opinionis Assertorem.*

Dudum est, Vir præstantissime; quo amicitia tuâ familiariter usus; ab ea Te opinione purgare optaveram, quam contra Virginis nostræ Immaculatum Conceptum altè imbiberas. Tu quippe Innocentiam Deiparæ Virginis peccato originali defloratam contendis, reliquo Orbe Illibatam clamante. Equidem observavi, causas flagrantis dissidij à Tuo, meoq̄ Angelico Doctore proficisci. Tibi enim indignum videbatur, si, quam ille sententiam amplexus fuerat, non utroq̄ brachio sustineres. *Thomas edixit, ergo rea est Virgo*; hæc consecutio tam altè animo Tuo infedit; ut nullis rationibus refigi posset. Et verò negari haud debet, nihil hætenus Virginis Causæ adeò nocuisse, ut vulgatam opinionem, contra illam Thomam militasse. Quis enim crederet innocentem, quàm Angelus accusaret? At ego, qui & purissimæ huic Virgini calamum dicavi, & Thomæ Aquinatis Discipulum me profiteor, Tibi semper addictissimus vixi; statui in veritatem, Sanctique Doctoris sententiam inquirere, Teque hoc nodo liberare, quo unice tenebaris; ac unâ, eademque operâ ostendere, nec ream esse Virginem, nec Thomam accusatorem. Ubi enim in manus Tuas devenerint, quæ de hoc argumento conscripsi, in spem adducor, Te quoque ad pedes Virginis calamum tandem positurum, pari que ardore illius Innocentiam defensurum, quo hætenus impugnasti, sicque finitis bellis, & pace juratâ, Virginem nostram de peccato triumphaturam, Te quoque, Tuisque ad curram, & in obsequium euntibus.

Enimverò nemo inficias iverit, Te magnam esse, nobilemque Ecclesiæ partem, quam selectâ Doctrinâ, rebusque longè lateque pro Catholica Religione gestis præclare ornasti; sed illud quoque

):(verum

verum est, nihil æquè famæ, nominiq̄ue Tuo apud Mortales intercessurum, quàm si solus ab omnium sententia, & cultu secedas, ac Virginis Innocentiam accuses. Amabò Te, quantò consultius esset, cum Ecclesia sentire, sicq̄ue communi pace & concordia frui, quàm aliqua ex parte tot illa bona morari, quæ alioquin virtutib⁹, & Doctrinæ Tuæ debentur? Et hæctenus quidem Auctoritas Patrum, Sanctiq̄ue Doctoris excusare Te poterant; his enim præfidijs Tuam causam purgabas; at hæc quoq̄ue exciderunt, jam enim Sole clari⁹ ostendemus, nec Patres, nec Angelicum Doctorem à Te stare. Quis enim magis Patrum sententias veneratur, & sequitur, quàm Ecclesia Catholica, Romaniq̄ue Pontifices? & hi tamen Virginem nostram originali peccato liberam volunt, palamq̄ue Illibatam pronuntiant; non ergo credunt, Virginis immunitatem Patrum sententijs obstare. Et quid Patrum suffragia, & Decreta in ea causâ producis, quam Patres ultrò, citroq̄ue auditis rationib⁹ nunquam examinârunt, multoq̄ue min⁹ deciderunt? nec enim dici possunt decisa, quæ nunquam discussa. Sed & omnium Patrum nomine professus est Augustinus: *Quoties de peccatis agitur, nullam prorsus de B. Virgine questionem haberi velle, quæ vicit omni ex parte peccatum.* Si ergo Augustinus ne quidem de peccato Virginis quæri vult, quantò min⁹ sententiam dici? Magna est injuria, si de honesta, & pudica quæretur, *an sit corrupta?* at multò major de Virgine omnium purissima quærare, *an sit peccatrix?* Et Tu tamen, pace Tuâ dixerim, citatâ ad Tribunal Tuum Coeli Reginâ, jam sæpe decidisti, quod Augustinus ne quæri quidem voluit. Taceo, Patres non de conceptu Animæ, sed Corporis loqui, cùm dicunt, excipi solum Christum ab illa sententia: *Et in peccatis concepit me Mater mea.* Nihil ergo Te Patres juvant, quorum tamen suffragijs opinionem Tuam præfertim adornabas.

Doctorem Angelicum quod attinet, tam clarum est, ex illius principijs Immaculatam Conceptionem probari, ut nihil magis; ille enim docet: *Ecclesiam non celebrare Festum nisi de Sancto; & ideo Beatam Virginem absque peccato originali esse natam. Ecclesie consuetudinem præstare omnium Patrum auctoritati. Credendum esse, Beatæ Virgini tantum gratiæ collatum fuisse, quantum conferri potuit. DEI Matrem eâ puritate nitere, quâ major sub DEO*
repe-

reperiri nequeat. *Puritatem B. Virginis à Puritate Divina in eo differre, non quòd B. Virgo aliquando peccatum incurrerit, sed quòd peccare possit, DEUS autem non possit. Fuisse ab omni peccato actuali, & originali immunem.* Ex quibus Angelici Magistri principijs tam clarum est, sequi immunitatem Purissimæ Virginis à peccato originali, quàm clarum est, ex Solis adventu sequi diem, & ex occasu noctem. Nec ullâ Theologiâ, aut ratiocinatione opus, ut ex hisce principijs non continuò intelligas, etiam hunc S. Doctorem pro Virginis Illibata Puritate militasse. *At Ecclesia nihil pro Virgine decidit.* Esto, sed néque contra Virginem; imò invitat, rogat, colit, exemplóque suo omnes Fideles provocat, allicítque, ut venerentur sine macula conceptam. Si ergo sine Ecclesia Deiparam Virginem Originalis culpæ Tu damnas, cur non potius cum Ecclesia à peccato absolvis? quid expectas imperium, cùm exempla Te provocent? Matrem agit Ecclesia, non Dominam; & ideo sufficit exemplo præisse, quamvis imperio cessante. Quid Imperium & præceptum quæris, cùm de voto Ecclesiæ constet?

Si persuaderi mihi posset, Te aliquâ vanissimi honoris, & æstimationis umbrâ teneri, quò minus antiquæ sententiæ renunties, & ideo nolle opinionem mutare, ne errasse mutando videaris; continuò responderem: Imò id Tibi summæ gloriæ cessurum; nam quòd hætenus repugnasti, amor, ut dicebas, & reverentia Patrum effecit, à quorum doctrinâ avelli non poteras, præsertim causâ necdum discussâ, Tuisque argumentis non planè convictis. Postquam verò veritatem edoctus, exempla Ecclesiæ vides, si arcem toties pulsata, defensamque, nunc tandem dedas; veritati adscribent, & ingenuæ modestiæ, quâ magni animi, & eruditi plerumque abundant, nec ulla victoria tantum Tibi gloriæ & amoris adjunget, quantum spontanea hæc cessio, vincente veritate. Revoca in animum Augustini Retractationes, quæ tanto Viro nihil obfuere, ut non Aquila audiret, & maximus Doctorum. Sed nec autumnum haberemus, nec anni fertilitatem, nisi Sole retrogrado; tantum videlicet & Sapientis, & Mundi totius interest, aliquando mutasse. Hæc, inquam, dicerem Tibi, si in Causa tam sancta vanis respectibus afflari censerem; sed isti à pietate Tua alienissimi sunt, & ideo superflua, quæ dixi, & importuna remedia nullum morbum experto. Quòd si

suspectus Tibi, aut indignus videor, cujus consilio obtemperes, saltem aures & animum dabis ipsis Ordinis Prædicatorum sapientissimis, celeberrimisq; Doctoribus, quos ego longo ordine producam, & quorum unum hæc lubeat pro centum alijs audire. Is est Vincentius Justinianus in *Additionibus ad Vitam B. Ludovici Beltrami c. 3. §. 15.* Jam, inquit, in Hispania, in Indijs, in Gallia, totaq; penè Europâ contra piam opinionem aut scribere, aut docere, aut concionari velle, nihil aliud fuerit, quàm male canere, & in malo cantu durare, & occasionem dare, ne illud Terentij eis occinatur: Frustra niti, & laborando nihil aliud, quàm odium querere, extrema dementia est. Magna prudentia fuerit, eam opinionem omnino deserere; quemadmodum ij, qui collabentem jam domum vident (quod de muribus Plinius scribit) fugâ se subducunt. Si ergo & pietatis Tuæ interest; & veritas urget tam clarè proposita; & Ecclesiæ exempla invitant; & Tui quoque Doctores disertè profitentur; & dignitas Virginis, amôrque ei debitus exigunt; & nec Patres, nec Angelicus noster repugnant, imò impensissimè favent; quid tandem cunctaris, Tibi, Virginique pacem donare? clamant omnia Tempa, clamant omnia suggesta, omnes Academiae, omnes calami, omnes linguæ, omnes Pontifices, & immaculatam, ac lilio candidiorem dicunt; cur ergo nodum in scirpo, & maculas in Sole hoc quæris? Jam omnia suffragia convenère pro Virginis integritate, superest Tuum, ut absoluta dicatur. Licet Tibi accedere (cur enim Tibi non liceat, quod omnibus licet?) imò ut accedas, Ecclesia rogat, & præit. Impone tanto operi Coronidem, & in Tuis quoque Tuorumque Sacrijs hoc Trophæum & inscriptio legatur: *Ara veritatis, quam post ducentorum annorum grande certamen Virgini Immaculate, & de originali peccato triumphanti Pietas erexit omnium Christianorum, bello finito, pace compositâ, Innocentiâ Victrice.*

